Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26274
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uestras. Iud. Illud semen quod tu intendis tuus ille Christus
qui dicitur esse illud semen quod deus Abrahe promisit. Numquid uenit
statim post generationes quatuordecim. Multo plures fuerunt
generationes ab Abraham usque ad dies Herodis quo regnante
natus est ille qui Christus dicitur. Christianus. Expecta paulisper et
dicam tibi illud quod tu ipse uerum esse diffiteri non potes. Genera
tiones quatuordecim ab Abraham cum clibanus ille fumans
premonstrauit in Dauid terminate sunt. At ille nimium pecca
uit tollendo uxorem Urie et ipsum interficiendo gladio
filiorum Ammon. Quam ob rem ait dominus. non recedet gladius de do
mo tua usque in sempiternum. Exigebat ergo iusticia ut dif
ferret deus Christum suum non paucioribus id est quatuordecim
generationibus quibus expletis nichilominus iustum erat
differri generationibus xiiii. nec solum differri Christum
suum etiam in captiuitatem duci populum. maxime propter
peccata Manassen qui impleuit Ierusalem sanguine
innoxio usque ad os. Iud. Quis prophetarum causas istas
dixit, aut in qua scriptura dilationes istas sic peruenisse
aut peruenire debuisse legisti. Christianus. Euangelista
diuinus non absque illo in quo prophete locuti sunt spiritu. cum per ordinem
digessisset generationes ab Abraham usque ad Christum, protinus
ita subdistinxit. Omnes ergo generationes ab Abraham usque
ad Dauid, generationes xiiii. Et a Dauid usque ad trans
migrationem Babilonis, generationes xiiii. Et a transmigrati
one Babylonis usque ad Christum, generationes xiiii. Hec di
cens, uigilantem auditorem mittit ad querendas ex scrip
turis causas dilationum, et ecce cause manifeste sunt.
Ego euangeliis tuis non attendo. sed hoc scio Iud.